Nobilissimo viro D. Constantino
Hugenio Equiti, Zulichemi Domino &c.
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime, praestantissimeque Hugeni,

cum aquae in Euripos & cataractas magno impetu irruunt, sisti eas sine inde objectis valvis portisque necesse est, ne mole sua obruant vicinas terras. Mihi tanta rerum scribendarum moles incumbit, ut punctis mille & commatibus et parenthesibus singultientibus (vocem tuam agnoscas) opus sit, ut scribenda determinem et suo singula ordine efferam. Ex quo Haga cum Principe abivisti, ego individuum vagum fui, modo Poelgeestam, modo in Bamestrae agrum, modo Muydam, mox Beverovicum & Alcmariam abreptus. Ubique inter meos tuos quoque amicos reperi, quibus benevolentiae tuae et comitatis characterem impressisti. quamob causam meminisse tui amant, sive sicci seria agant, sive aspersi Libero Saliaribus dapibus ornent Deorum pulvinaria. Poelgeestae apud cognatum tuum D. Schonckium censum inivimus tuarum virtutum. verum hoc unum in vitio posuimus, quod cum omnes devincias tibi, articulum invideas et bonas occasiones demerendi te. Debere tibi nos mavis, quam debere nobis. et corporibus usque coelestibus similis, inferioribus te tuaque donas, at accipere quicquam à sublunari mundo nescis. Bamestrae Riccios, Ossios, Ranstios mihi obvios cum pilentis et quadrigis obiecit, quibus regaliter versus accepi TESSELAM, cui epistolae tuae partem praelegi, quae de rivalibus agit.

Illa suos prudens mecum suspendit amores,
Et solum Veneris nomen, siccosque poetas

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 145
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2770

Sicca colit. neq. tota gelu blandissima possit
Basiolis et Persicalis matrona resolvi.
Ab eius facundia est carmen hoc, quod mitto, inscriptum
albo nobilissimae virginis Traiectinae Ogl. Boedro,
wici apud D. Paulum de Willem te totum Parisiis
uvis immersimus, et ibidem in praedio Coymanorum
asparagos non una Tibi paropside sacravimus,
optavimusq. omnes, ut quam cito illi crescunt, tam
cito te incolumem videamus & victorem Auriacum.
Quod interpretem te praebueris Veneris meae
Britannicae apud Celsissimum Principem, est
quod tibi aeternum debeam. gratiores sunt antias
chirothecae, quibus iridis pulverem adspersit artifex.
gratiores quoq. fuere versus mei, quibus tu
scholiis tuis, velut myrothecio, fragrantiam addidisti.
Cogita, mi Hugeni, grandi te munere functum,
cum ista ludicra interpretareris. Est quippe inter
Deos equus, interpres Divum. Impetrasti pro
me triadem centenariam, quam a quaestore
accepi per D. Vicofortium. Vivat Princeps in Musarum
solatium et ἄγρα πάντος ἴδμεν. Vivas & tu, qui
Celsitudines facundia tua & exaggerationibus argento
emungis, in amicorum gratiam. Poemata in Angliam transmissa
quia tardius eo venisse creduntur, exhibita Regi non sunt.
Scripsi ad Ill. Legatum D. Joachimi, petiiq. ut dignetur, ea
offerri, ubi tempestivum iudicabit. Nobiliss.us Vicofortius in
Hagiensi agro habitat, in praedio Quaestoris Hoefijser. Ego tanto
amico & adsite orbatus erro, velut viduatus compare turtur,
et Pylade Orestes. Commutavi jampridem cum filio tuo
Constantino epistolas & versus. Obiit Traiecti ad Rhenum
Jacobus de Gelder et vander Burchium nostrum perditum
ivit legato octo millium florenorum. gaudet simili beneficio

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 145
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2770

soror vidua, exactissimæ matronæ exemplar. Iam hic est et risui mihi materiam facetissimus ille subministrat. Scripsit iampridem D. Stella ad D. Vicofortium, Cardinalem Richeliū unicè optare, ut versibus meis dici posset. Est is Stella in flagranti apud Richelium gratia et mihi addictissimus, nuper legatione functus apud Brisacenses, nunc ad Helvetios missus, aut mittendus. Ego ne videar deesse votis tam clari Ducis, meditor Panegyrin de eius laudibus. Redeunt ad te Epigrammata tua doctissima & acutissima, quæ gradibus iterum distinxi, ut qualitates primas solent Physici. Si malus fui censor, expecto, ut mihi accidat, quod Tiresiæ aut Marsyæ. De nova poematum tuorū editione velim seriò cogites, præsertim Epigrammatum, quibus salivam moves omnibus; adde et splendorem. Vale præstantissime Hugeni, et me, quod facis, ama constanter. Amstelod. IX Jul. cIↃIↃcxl

Hæc te solum scire volo.

Muydæ ludi circenses exhibiti sunt. In eos sic lusi ad Satrapam [illegible]:

Dum tuus intentas in circum dirigit hastas
 Civis, Olympiacis æmulaturus equis;
Nos placidas Rheni viduas mulcemus ad undas.
 Nec tamen officiū cuspis & hasta facit.
Hæc civis laus tota tuis est, se infigere circo.
 At laus à circis abstinuisse mea est.

Dum has literas obsigno, ecce adfertur novus literarū à te fasciculus. Aperui, vidi meas ex mente [illegible]. Curabo ocyus quod petis. Stupui ad lectionem dissertatiunculæ Christiani tui. Non vult cedere fratri. Misit mihi Constantinus orationes adversariam de [illegible] carmine scriptam. [illegible] ultro circumdatis libris ex honesto [illegible] accendam Castorum [illegible]
Ad meas respondebo proximis ex chartis [illegible]. Festinandum.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 145
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2770